

quit: Et quia tædio affectus est, & quia oderat illas, non ausus est dicere, deus illas fecit: erat autem catholicus. Ille statim subiecit, Si deus illas nō fecit, quis illas fecit? Planè ait ille, Ego credo quia diabolus fecit muscas. Et ille statim, Si muscas diabolus fecit, sicut te uideo confiteri, quia prudenter intelligis, apem quis fecit, quæ paulo amplior est musca? Non ausus ille est dicere, quia deus fecit apem, & muscam non fecit, quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locustam, à locusta ad lacertam, à lacerta ad auem, ab aue duxit ad pecus, inde ad bouem, inde ad elephantem, postremo ad hominem, & persuasit homini, quia non à deo factus est homo. Ita ille miser cum tædium passus est à muscis, musca factus est, quem diabolus possideret. Beelzebub quippe interpretatum dicitur princeps muscarum: de quibus scriptum est, Muscæ morientes exterminant oleum suauitatis. Quid igitur fratres, quare ista dixi? Claudite aures cordis uestri aduersus dolos inimici, intelligite, quia deus fecit omnia, & in suis gradibus collocauit. Quare autem patimur multa mala à creatura quæ fecit deus, nisi quia offendimus deum? Nunquid hæc angeli patiuntur? Fortassis & nos in illa uita, ista non timebimus. De pœna tua peccatum tuum accusa, non iudicem. Nam propter superbiam instituit deus istam creaturam minimam & abiectissimam, ut ipsa nos torqueret: ut cum superbus fuerit homo, & se iactauerit aduersus deum, & cum sit mortalis, mortalem terruerit, & cum homo sit, proximum hominem non agnouerit, cum se erexerit, pulicibus subdatur. Quid est quòd te inflas humana superbia? Homo tibi dixit conuicium, & timuisti, & iratus es: pulicibus resiste ut dormias. Cognosce qui sis, nam ut noueritis fratres, propter superbiam nostram domandam creata ista, quæ molesta nobis essent. Si populum Pharaonis superbum potuit deus domare de ursis, de leonibus, de serpentibus, cur muscas & ranas illis immisit, ut rebus uilissimis superbia domaretur? Omnia ergo per ipsum fratres, omnia omnino per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sed quomodo per ipsum facta sunt omnia? Quod factum est, in ipso uita est. Potest etiam sic dici, Quod factum est in illo, uita est, Ergo totum uita est, si sic pronunciauerimus. Quid enim non in illo factum est? Ipse est enim sapientia dei, & dicitur in psalmo, Omnia in sapientia fecisti. Si ergo Christus est sapientia dei, & psalmus dicit, omnia in sapientia fecisti, omnia sicut per illum facta, ita in illo facta sunt. Si ergo omnia in illo fratres charissimi, & quod in illo factum est, in illo uita est, ergo & terra uita est, ergo & lignum uita est. Dicimus quidem lignum uitæ, sed secundum intellectum lignum crucis, unde accepimus uitam: ergo & lapis uita est. Inhonestum est sic intelligere, ne rursus nobis subrepat eadem sordidissima secta Manichæorum, & dicat: quia habet uitam lapis, & habet animam paries, & resticula habet animam, & lana & uestis. Solent enim delirantes dicere, & cum reprehensi fuerint & repulsi, quasi de scripturis proferunt dicentes, Vt quid dictum est, Quod factum est, in ipso uita est? Si enim omnia in ipso facta sunt, omnia uita sunt. Non te abducant, pronuncia sic, Quod factum est, hic subdistingue, & deinde infer, in illo uita est. Quid est hoc? Facta est terra, sed ipsa terra quæ facta est, non est uita. Est autem in ipsa sapientia spiritaliter ratio quædam, qua terra facta est, hæc uita est. Ergo quod factum est, in illo uita est. Quomodo possum, dicam charitati uestræ. Faber facit arcam. Primo in arte habet arcam: si enim in arte arcam non haberet, non esset unde fabricando illam proferret. Sed arca sic est in arte, ut non ipsa arca sit quæ uidetur oculis. In arte inuisibiliter est, in opere uisibiliter erit. Ecce facta est in opere, nunquid destitit esse in arte? Et illa in opere facta est, & illa manet quæ in arte est: nam potest illa arca putrescere, & iterum ex illa quæ in arte est alia fabricari. Attendite ergo arcam in arte, & arcam in opere. Arca in opere non est uita, arca in arte uita est: quia uiuit anima artificis, ubi sunt ista omnia antequam proferantur. Sic ergo fratres charissimi, quia sapientia dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia antequam fabricet omnia. Hic quæ fiunt per ipsam artem, non continuo uita sunt: sed quicquid factum est, uita in illo est. Terram uides, est in arte terra. Cœlum uides, est in arte cœlum. Solem & lunam uides, sunt & ista in arte: sed foris

Eccles. 10

Psalm. 103